



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Thola, Judex.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](#)

Matris Cognatos egit cum primariis civibus, ut eligeretur in Principem. Imperato horum consensu conduxit validam hominum conseleratorum manum, quorum operâ in oppido Ephra comprehendit septuaginta fratres, eosque super unum lapidem occidit, singulis capite truncatis. Hoc ad Principatum præludiō usus ad suos Sichimitas redit, à quibus etiam Princeps constitutus est juxta annosam quercum oppido vicinam, Joatham minimo Gedeonis filio, qui unus servatus fuerat, è monte Garizin eos dehortante, ac ipsis maledicente.

Israëlitæ statim à morte Gedeonis ad sacrilegos Baalis cul-  
tus relapsi erant, præsertim Sichimitæ, ac ipsi etiam Gedeonis  
filii à DEO fortassis tam crudeli morte puniti. Duce nunc Abi-  
melecho majora adhuc iucrementa accepit impietas, ita ut cum  
Baal etiam foedus percuterent, ut esset eis in DEum. At bre-  
vi meritas dedere poenastum Abimelech, tum Sichimitæ; ru-  
ptâ enim inter illum & hos amicitia, civitas ipsorum à tyranno  
capta deletaque est. Propagatō deinde per alias quoque urbes  
tyranni odiō ipse, dum captâ civitate Thebes turri, ad quam se  
Principes urbis receperant, ignem subdit, faxo à fœmina deje-  
cto, percussus interiit, tribusque adeò annis impiè ac crudeli-  
ter præfuit.

Israëlitæ Baal  
colunt, & A-  
bimelech pœ-  
rit.  
Jud. c. 2. à v.  
32. & c. 9.

### Thola, Judex.

AbAn. 2772.

Post tyranni mortem Thola de Tribu Isachar Judex præfuit  
viginti tribus annis. Quid verò vel pro Republicâ vel pro  
Religione gesserit, nihil Scriptura habet, contenta indicasse, eum  
potius Abimelech surrexisse, & judicasse Israëlem viginti tribus an-  
nis, & mortuum esse.

Thola præf.  
23. annis.  
c. 10. v. 1. & 2.

Hujus tempore Noëmi nobilis fœmina de Tribu Juda redit  
in patriam. Migraverat ante annos aliquot famis tempore in  
Moabitidem cum viro & duobus filiis. Ibi cùm hi uxores Moa-  
bitidas duxissent, non diu post mortui sunt. Orbata deinde  
etiam viro in Judæam reversa est, comitante ipsam altera nuru  
Ruth nomine, quam postea Booz uxorem duxit, factaque est  
Moabitis ista Progenitrix Christi Domini; natus est enim Obed  
ex Ruth. Obed autem genuit Jeste. Jeste autem genuit David.

Ruth Moabi-  
tis Progeni-  
trix Christi  
Domini.  
Lib. Ruth pes  
4. capita.

M 3

Jair,